



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXXI. In te Domine speravi, non confundar in æternum, &c. Carm.
gen. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Risum reducis, pro dolore
 Lætitiámq̄ alacremq̄ plausum.
 Te semper ergo carinina, te lyræ
 Nostræ sonabunt: uox tibi seruiet
 Dicata, præbebitq̄ nostris
 Materiem tua laus Camœnis.

PSAL. XXXI. *In te Domine speraui,
 non confundar in æternum, &c.*

Carm. gen. 10.

IN te locaui spem meam
 Rerum creator optime:
 At tu benignus prospice
 Ne spei pudeat irritæ.
 O iuste uindex fraudibus
 Ab hostium me uindica:
 Audi benignus supplicem:
 Da promptus abiecto manum.

Me rupe serua ut inuia
 Clausum, uel arce ahenea:
 Tu rupis es mihi inuia
 Munimen, arx ahenea:

Ergo ut timori mentibus
 Nomen tuum sit impijs,
 Præi uiam mihi, abditis
 Me libera de castibus.

Tu robur es meum: tuæ
 Commendo uitam dexteræ:
 Me libera pacti Deus
 Tenax, memorq̄ fœderum.

Qui uana stulti somnia

Sectan-

Señtantur, odi pessimè.

Tu certa spes mihi es, meæ

Tu portus es fiducia.

Inter labores asperos

Lumen tuæ clementiæ

Fulgens, repenti turbidum

Perfudit animum gaudio.

Quum me tyrannis impotens

Vrgeret hostis impij,

Iam iam imminentis pallidis

Lethi explicasti faucibus.

Miserere fracti tot malis,

Tot obruti doloribus.

Caligat oculus, mens stupet:

Mœrore corpus tabuit:

Caduca uita elabitur

Per luctus & suspiria:

Interq; clades aridis

Fluxere uires ossibus.

Me ridet hostis, & meis

Insultat insolens malis:

Horrent propinque: cæteri

Vitant metu periculi.

E proximorum mentibus

Obliteror, ceu mortuus.

Contemptior sum ciuibus

Quam lamina testæ fictilis.

Me multitudo opprobrijs

Coram lacescit asperis:

Vim machinatur in meam

Iurata mortem factio:

D iij

Ego interim fiducia
Opis tuæ, dolos, minas,
Iniurias, & hostium
Contemno contumelias.

Tu fila uitæ temperas
Meæ, regisq; tempora:
Tu me impiorum libera
Ab hostium tyrannide.

Ostende uultum amabilem
Seruo bonus tuo & fauens:
Et me tuere, qua soles
Semper tuos, clementia.

Ne sit pudori quod tuam
Imploro opem: pudor malos
Confundat, & silentium
Longum sepulchris sopiat.

Assueta uox mendacio
Sit muta, uox procaciter
Solita bonos laceßere,
Et arrogantes spernere.

O quanta te colentibus
Et quot redundant commoda!
Quot, teste mundo, prosperis
Auges tuos successibus!

Hos protegis reconditos
Procul à minis potentium,
Tuaq; munis in domo
Linguae ueneno ab impiæ.

Tibi perennis gratia
Sit, rector orbis, qui uelut
Munita in arce me procul

Pericu-

Periculis submoueras.

Expes inops uitam fugæ
Quum uix tuerer anxiam,
Mecum ipse dixi, iam truci
Reliquit hosti me Deus.

At tu nec in periculis
Oblitus extremis mei,
Aurem benignam supplici
Acinuocanti admoueras.

Ergo patrem rerum optimum
Amate candidi & pij,
Qui fastuosos deprimat,
Et obsequentes erigit.

Qui spem locatis in Deo,
Constanter illi fidite,
Nec robur animi concidat
Sortis procella turbidæ.

PSAL. XXXII. *Beati quorum remissa
sunt iniquitates, &c. Carm. gen. 15.*

O ter beatum cui Patris optimi
Noxas remisit lethiferas fauor,
Cui fœda morum flagitia obruit
Obliuio so tecta silentio!

O ter beatum cui bonus arbiter
Non imputauit lubrica deuiæ
Errata uitæ, nec reperit dolum
Cæco in recessu pectoris abditum!

Donec fouebam sub tacito sinu
Morbum, solutis languidus ossibus
Artus trahebam, luctificus dolor

D iiij